



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 28. Alia Decreta Spirensis conventus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

*riculum excusatur, dicitque, se neque sum- Sæcul. XVI.  
ptum tolerare posse, cum vix habeat, quo A.C. 1544.  
se, filium atque familiam alat.*

Hæc Legatorum oratio non parum conferebat, ut Principum animi adhuc magis adversus Franciæ Regem accenderentur, atque ad bellum eidem inferendum eo vehementius impellerentur.

### §. XXVIII.

#### *Alia Decreta Spirensis Conventus.*

Cum Albertus Brandenburgicus per *Sleid. comm.* plures annos supremus Brussorum *l. 15. p. 513.* Equitum Magister fuisset, nunc autem matrimonio sese junxit, ac propterea a Curia Imperiali tanquam hæreticus fuisset condemnatus, hinc Cæsar in ejus locum præsentibus omnibus Imperii Principibus in hisce comitiis Wolfgangum Melkingum suprema hac Ordinis dignitate ritu solemnis insignivit. Verum eo quod Albertus beneficiarius Poloniæ Regis cliens esset, ideo Legatus Regis sui nomine eundem protegebat, nec non Wolfgangi electioni obliuctabatur. Ceterum quoad dissidia, quæ inter Brunsvicensem Ducem & Principes Protestantes fervebant, in iisdem comitiis decretum fuit, quod Cæsar Brunsvicensem Ducatum sequestris nomine tamdiu retineret, donec totum hoc negotium aut judicum sententia, aut amica liti- gan-

Sæc. XVI. gantium compositione absolveretur.  
A.C 1544. Pariter ibidem agebatur de discordia in-  
 ter Cæsarem & Christiernum III. Da-  
 niæ Regem, qui Christiernum II. Caro-  
 li V. Levirum jam a longo tempore ca-  
 ptivum detinebat: Verum hæc res non  
 dum decidi poterat.

## §. XXIX.

*Religionis negotia ad aliud tempus  
remissa.*

Jam denique causarum series eo ten-  
 dere videbatur, ut de Religionis ac  
 fidei dissidiis ageretur: cum vero profa-  
 na Principum negotia potissimum tem-  
 poris partem sibi jamjam vendicassent,  
 Cæsar consultum fore censebat, si ali-  
 quæ causæ ad proxima remitterentur  
 comitia, in quibus mense Decembri ce-  
 lebrandis velut pacis induciæ usque ad  
 Synodus vel generalem, vel nationa-  
 lem in Germania celebrandam decer-  
 nerentur.

## §. XXX.

*Comitiorum Spirensium Decreta in fa-  
vorem Protestantium promulgata.*

*Sleid. p 515.* Interea Cæsar, cum Lutheranorum fa-  
*Surius com.* ctionem in dies numero ac potentia  
*Bellay l. 23.* augeri cerneret, valida ab eis auxilia  
 sibi pollicebatur, hinc, ut Protestantes  
 Principes sibi devinciret, Decretum edi-  
 dit.